



1. Hager s. Joh. Casp. / diff. de perfectio-
nis Christiana studio, Wittenb. 1739.
2. ———— diff. de Bileamo, incarnate,
re et propheta periodico, Wittenb. 1739
3. ———— diff. de communione sub
utraq. Wittenb. 1739.
4. ———— diff. de causis cur Christus
morte crucis voluerit mori, W. 1739
5. ———— diff. de theologo non tantum
theoretico sed practico, Wittenb. 1738
6. ———— diff. de momento endronismoo
anime fidelis, Wittenb. 1726.
7. ———— diff. de defectibus afflictio-
num Christi a Paulo supplendis
ex Coloss. 1 v. 24. Wittenb. 1730
8. Hager s. Joh. Georgij / diff. de graduum
proverbio: prox contra daktisein
Act: VIII v. 5. Lipsia 1738.

34

Q. D. B. P

DISPUTATIONEM THEOLOGICAM
DE

CAVSIS
CVR CHRISTVS MORTE
CRVCIS VOLVERIT MORI

PRAESIDE

IO. CASP. HAFERVNGIO

S. S. THEOLOG. DOCTORE ET PROFESSORE
PVBL. ORDIN. ALVMNORVM REGIO-ELE-
CTORALIVM EPHORO

PRO CONSEQVENDIS SVMMIS IN THEO-
LOGIA HONORIBVS

IN ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
AVDITORIO MAIORI

D. XX. FEBRVAR. A. R. S. MDCCXXXIX

PVBLICE DEFENDET

FRIEDERICVS SCHVLZE

S. S. THEOL. BACCAL.

PRAESVLATVS NAMBVRGENSIS CIZAE SVPERINTEN-
DENS, CONSISTORII ADSESSOR, TEMPLI AD ARCEM CON-
CIONATOR, ET SCHOLAE EPISCOPALIS
EPHORVS.

VITEMBERGAE

TYPIS EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDII (6)

ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

DISPUTATIONEM THEOLOGICAM
DE

CASUS
CVR CHRISTI VS MORTE
CRVCIS VOLVIT MORTI

IO. CASP. HATTEVINGIO
S. THEOLOG. DOCT. ET PROFESSORE
PUBL. ORD. THEOLOG. ET
PASTOR. IN THEO.
FR. CONSINOVS DIS. SVMMIS IN THEO.

FRIBERGIENSIS SCHOLAE
PUBL. THEOLOG. ET
PASTOR. IN THEO.

FRIBERGI
PUBL. THEOLOG. ET
PASTOR. IN THEO.



PERILLVSTRI BV S EXCELLENTISSIMIS
SVMME REVERENDIS GENEROSISSIMIS
NOBILISSIMISQVE
SANCTIORIS SENATVS NAVMBVRGENSIS
CIZAE

DOMINO
PRAESIDI
CONSILIARIIS
ET
ASSESSORIBVS
LONGE SPLENDIDISSIMIS
DOMINIS AC MAECENATIBVS
GRATIOSIS
PATRONIS ET PROMOTORIBVS
CVM OBSERVANTIA VENERANDIS

GRATIAM ET PACEM A DEO PER DOMINVM
NOSTRVM IESVM CHRISTVM CRVCIFIXVM
ANIMITVS PRECATVR
SIMVLQVE
HANC DISPVTATIONEM INAVGVRALEM
DICAT ET HVMILLIME OFFERT

FRIEDERICVS SCHVLZE.



I. N. I.

Qui Christum in Pilati Praetorio considerat, multa inuenit, quae rapere in admirationem ipsum possunt. Tot enim, tamque uarii, circa supplicium, Seruatori irrogatum, occurrunt euentus, ut eos omnes aut percensere, aut digne aestimare, nemo valeat. Nos iudicem tantum intueamur, qui legitima quidemungebatur potestate; sed oppido illegitime. Potestatem ipsam agnoscit Christus, cum τὸ ἔχειν ἐξουσίαν κατ' αὐτῶν, ἀποθεῖν δεδεμένον, quod haberet potestatem contra ipsum, id illi esse desuper, seu a Deo, datum. Vbi praedicat potestatem ipsam, tanquam diuinitus constitutam; Fatecur etiam, ipsam supra & contra se valere; si quidem deliquisset, & de delicto esset conuictus. Verum, cum & peccati omnis esset ex-pers, & tantum per inuidiam atque calumnias ac-cusatus, nequiquam vero conuictus; ipsum po-estate sua non legitime uti; sed turpiter abuti. *Iob. XIX, n.* Ipse enim Pilatus agnoscebat, se nullam in Chri-
A
fto



sto culpam inuenire, *uers. 6.* Eoque plane innocentem illum declarabat. Volebat autem τῷ ὄχλῳ τὸ ἵκανὸν ποιῆσαι, *populo*, non legi, aut conscientiae suae, *satisfacere.* *Marc. XV, 15.* Quo animo cum esset, primum turbulentae multitudini optionem deferebat, eligendi, vtrum mallent Christum, an Barabbam, latronem, viuum; Dein, cum turba latronem praehabisset, Christum supplicio addicebat. Multis ergo modis potestate sua abusus est Pilatus. Interim tamen a magistratu publico, qui a Deo haberet autoritatem suam, supplicio afficiendus erat Christus, vt appareret, a Deo sacrificium eius esse constitutum & directum. Sic Deus iniustas hominum actiones & machinationes per sapientiam suam ita moderatur, vt tandem in bonum finem cedant, eoque conducant, quo mens hominum prospicere non poterat. Imo, vt iniuste agendo, iustum producant. Quemadmodum iustum erat, vt Christus pro nobis tam diram subiret mortem, etfi mortishuius administri plurimis se contaminarent peccatis. Sed instituti nostri ratio non fert, vt haec amplius prosequamur. Potius erimus solliciti de causis indagandis, quibus permotus Christus, tam atrox supplicii genus elegerit. Adsit Deus conatui nostro, eumque ad suam gloriam, nostramque salutem conuertat!

SECTION

SECTIO I.
MORTIS CHRISTI IN CRUCE
DESCRIPTIO.

Crucis mors, quam Christus passus est, in se considerata, cum summa ignominia & grauissimis cruciatibus fuit coniuncta. Ignominiae erat Christo haec mors, nam non apud Iudaeos solummodo, sed & apud gentiles, cruce nihil execrabilius inueniebatur. Hinc apud Iudaeos naldictus habebatur ille, qui pendeat in cruce: *Deut. XXI, 22. Gal. III, 10.* & de gentilibus testatur Scaliger, scribens: Cum Romae pestiferae cuiusdam vertiginis morbus grassaretur, adeoque increbuisse, & aegrotantium animos occupasset, ut plerique propriis manibus sibi necem inferrent, Senatus Romanus variis mediis huic tanto malo occurrere volens, tanquam praesentissimum remedium, omnium praestantissimum atque efficacissimum antidotum, stabilivit publicam legem, ne quis in posterum se suspensio tolleretur, aut alio quouis modo interficeretur, crucis alioqui ignominiam in totius populi conspectu subiturus; quae turpitudinis & ignominiae poena tantum omnibus pauperem incussit, ut nullus deinceps violentas sibi metipsum manus iniicere moliretur. Conf. etiam FRANC. IVN. *Analys. Deuteron. c. XXI. vers. 22. B. Höe in Gal. III, 13.* Et DORSCHVEM *Admir. Christi p. 299.* qui citat Paulum *ICTum, L. V. Sent. Tit. XXI.* qui crucis supplicium non

summum modo vocet; sed & infame humilibusque tantum personis irrogandum.

Deinde extremo dolore Christus in crucis morte fuit percussus. Quemadmodum impossibile factu, totum Oceanum vado pertransire, & longe adhuc difficilius, eius guttas numerare, profunditatem omnium locorum scrutari, & explorare, latitudinem eius ineffabili mathematicaque calculatione dimetiri; sic vires hominum etiam disertissimorum infinitis parafangis excedit enumeratio cruciatuum atque dolorum, quos Christus, Saluator noster, in cruce animam agens, perpetiebatur, patientissimeque sufferebat. Nec incommode, quae Propheta tirenologus, olim sub persona deuastatae vrbs Hierosolymitanae prolocutus est, ad Christum transferre licet, nostra pectora sic inclamantem: O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus, *Cap. I, 12.* Nam si, priusquam cruciatus illos in se reciperet, eorundem acerbitas, imaginatione tantum apprehensa, sanguineum e toto corpore sudorem in horto ei expressit, *Luc. XXII, 44.* vbi dicitur *γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ*, voce semel tantum in N. T. occurrente. Vbi v. b. GERHARD. in *Harmon. Euangel.* facillimum erit aestimare, quid senserit, quid tolerarit, cum eosdem dolores in cruce inprimis reipsa pateretur. Non est in mundo dolor, qui doloribus Christi saluatoris nostri, quos in cruce sustinuit, vel in minimo sit equiparandus. Nam omnes poenas, quae nostris debebantur
scē

sceleribus ac noxis, ille in se, nostrae salutis causa, ex-
soluendas recepit, passus est grauissima & inaudita pe-
nitus tormenta. *Ef. LIII, s. 6.* vid. SEB. SCHMID. *in b.*
7. Nullus sensus, nullum membrum, nulla pars cor-
poris, doloris expers in cruce remansit: auditus ma-
ledictis, conuitiis, horrendisque blasphemiiis oppleba-
tur; visus & oculi furentium aspectu leonum & rabi-
dorum canum; gustus felle, aceto & myrrha infesta-
batur; odoratus foetentibus montis Caluariae, qui com-
munis malefactorum supplicii locus erat, cadaueribus
cruciabatur; tactus plagis & ictibus innumeris, imo &
supra modum horrendis, exacerbabatur. Membra
si contempleris, caput spinis dispungitur, manus pe-
desque obtusis clauis perterebrantur, omnia totius
corporis membra suis e commissuris euulsa laxantur,
conquerente Domino: Foderunt manus meas & pe-
des meos, dinumerauerim omnia ossa mea. *Pf. XXII,*
17. 18. Verbo: corpore atque anima Christus in cruce
pendens ineffabiles dolores sensit. Non immerito er-
go in inuestigandis & explicandis causis, ob quas Chri-
stus tam ignominiosam & dolorosam crucis mortem
tulerit, & non aliud honestius aut leuius mortis ge-
nus in opere redemptionis elegerit, erimus occu-
pati.

SECTIO II
CAVSARVM HVIVS MORTIS CHRIS-
TI IN CRUCE ENVMERATIO
ET EXPLICATIO.

I) **I**nter has causas primum & praecipuum locum absque dubio obtinet ordinatio Patris & praefiguratio huius mortis in S. Scriptura facta. Ordinavit nempe Pater filium suum ad mortem crucis. Vnde dicitur: *ἀρισμένῃ βῆλῃ, καὶ προγνώσει τῆ θεῶ ἐνδοξοῦ, Act. II, 23. Definito consilio & praescientia Deo editus, vel traditus. Dolebat Pater, diaboli fraude hominem peccato Adami ita corruptum, ita destructum, ita vastatum ac desolatum, vt vix aliquid primae dignitatis & excellentiae retinuerit; sic doluit operis a se conditi vicem, vt de restorationis negotio seria illico consilia susciperet, & media illi conuenientia adiuuaret. Iam inde igitur ab omni aeternitate filium suum unigenitum ad ignominiosissimam crucis mortem appetendam ordinavit, eique peccata nostra imposuit, vt hostium manibus tortus & crucifixus nostrorum dissolueret delicta peccatorum, attestante propheta: posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum: & Dominus voluit contere eum in infirmitate, vt nostra imbecillitas eius infirmitate roborata innouaretur, *Ies. LIII, 6. 10.* Hoc ipsum Dei Patris decretum intelligens Apostolus Petrus, sic fatus est: conuenerunt, o Deus Pater, facere, quae manus tua & consilium tuum fieri decreuerunt, *Act. IV, 28.* Et huic consilio ac decre-*

secreto Patris ut se subiiceret filius, crucis mortem elegit, morem in omnibus gessit, ut nostram inobedientiam expiaret, & nos veram obedientiam edoceret.

Variis insuper crux Christi figuris, vna cum virtute sua, in lege Mosaica fuit adumbrata. Praefigurata fuit in arbore ligni vitae in medio paradisi, quia sicut in arbore illa pendebat fructus vitae, qui hominibus immortalitatem largiebatur; sic in cruce propendere debuit panis vitae, dans vitam mundo. *Iob. V, 25. 26.* Praefigurata fuit in virga Moysis, cuius virtute Pharaon cum exercitu suo in rubri maris profundo submergebatur; sic crucis virtute infernalis Pharaon cum exercitu suo, peccato, morte, inferno, erat opprimendus & humanum genus eius tyrannidi eripiendum. *Exod. XIV, 16. seqq. Coloss. II. 15.* Praefigurata in ligno, quod Deus Moysi ostendit, quo aquas Mara, intolerabili amaritudine infectas, ut bibi non possent, ita dulces fecit, ut tam iumentis, quam hominibus potabiles redderentur: sic enim Dei filius cruce sua omnes humani vitae clades atque afflictiones ita condidit, ut non sit amplius, quod dura & acerba pro eius nomine pati timeamus. *Exod. XV, 25. Matth. XI, 28. 29.* Praefigurata in stipite, in quo Moyses aeneum serpentem exaltauit: sic enim in crucis stipite coelestis Moyses, Deus pater, filium suum suspendit, ut omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. *Iob. III, 14. 15. Num. XXI, 8.* Ecce, quid causae subsit, cur Christus tam ignominiosum & dolorosum mortis genus elegerit? 2) His accedunt momenta specialia,

lia, quae indicant huius ordinationis & praefigurationis causas & rationes nouas, vt sunt 1) quia haec in ligno crucis moriendi forma peccato primi hominis valde consentanea erat. Nam & ille, ex ligno vetito fructum decerpens, mortem induxit. Hinc Christus soluens, quod non rapuit, fructum salutis in ligno posuit, & vitam in orbem terrarum iure postliminii reduxit. Qua in re non aliter se gessit, quam filius, qui offensi patris honorem zelans, lignum, quo hic per contumeliam fustigatus fuerat, asseruaret, vt eo ipso mediante illatam patri iniuriam vindicaret. Hoc ipsum satisfactionis mysterium quo paulo clarius euadat, videbimus, quomodo Christus in cruce peccatum Adami expiauerit. Factum illud est vario modo. Nam quemadmodum Adam & Eua multipliciter peccarunt, sic Christus in passione sua & praesertim in cruce, multipliciter satisfecit. *Rom. V, 16.* Peccatum oculorum, quia nimis curiose lignum aspexerant Protoplasti, videntes, quod esset pulcrum visu, expiauit, se ipsum, tot aerumnis in cruce deluctantem, intuendo: Peccatum manuum in atrectando & arripiendo, atque decerpendo pomum vetitum expiauit, permittendo manus suas benedictas obrutis clauis, ineffabili cum dolore, perforari: Sic, o Iesu, & nostrae manus per inobedientiam prohibitam arborem apprehenderunt, manus autem tuae, per obedientiam erga Patrem, ferreis in cruce clauis lacerantur: Peccatum pedum, quo ad prohibitum pomum cucurrerunt, exoluit, quando in sacris pedibus suis dirissime sauciatus, ferreis itemque clauis transuerberatus crucique affixus lamentabatur:

batur: foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerim omnia ossa mea, *Pf. XXII, 17. 18.* O Iesu, pedes mei adhuc velociter in omne malum procurunt: pedes tui in cruce malleorum ictibus vulnerantur & transfiguntur. Peccatum gustus, quo pomum vetitum degustarunt, expiauit, quando felle & aceto ad maiorem cruciatuum cumulum fuit potatus; dederunt, inquit, ea de iniuria conquerens, in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto, *Pf. LXIX, 22.* O Iesu, ego in Adamo pomi dulcedinem degustauit, tu pitissas non solum, sed & affatim hauris amaritudinem fellis: Peccatum narium, quo pomi fragrantiam odorati sunt, expiauit, in foetidissimo montis Caluariae loco: Peccatum aurium, quo diaboli suggestionem exceperunt, in cruce luit & exoluit, quando ab omni hominum genere explodebatur, stabat autem populus expectans, inquit Lucas, & deridebant eum principes cum eis, *Cap. XXIII, 35.* Peccatum cordis, quo pomum nimis auide concupiuerunt, exoluit, quando sacrum cor eius lance fuit traiectum. Sic concupiscentia cordis Adamum traxit ad peccatum, Saluatorem uero ducit ad crucem.

2) Quo superabundans amor & gratia Dei, quam scriptura in redemptionis opere multis verbis extollit, appareat. Apparet autem hic in crucis morte, & quidem a) quia Christus Saluator noster non propter commodum suum, sed ad nostrum duntaxat beneficium, utilitatem atque salutem, contumeliosam atque dolorosam crucis mortem elegit. *Ef. XLIII, 24. 25.* Huius emolumenti respectu affirmat propheta:

B

filius

filius datus est nobis, *Ies. IX, 6.* & multo clarius testificatus fuit Christus, priusquam in altari crucis semetipsum pro nobis immolaret, quando ait: pro eis ego sanctifico me ipsum, *Iob. XVII, 19.* b) Deinde passio Christi in cruce fuit mere spontanea, nullo modo coacta. Passus Christus est, quia voluit. Sicut Ionas spontanea voluntate elegit proiici in mare, ut tempestas conquiesceret; *Ion. I, 12.* sic Christus vitro voluit immergi tempestati irae diuinae, & peccata nostra in cruce luere; ut aeternae damnationis procellae, quae in vniuersum hominum genus saeuierant, protinus tranquillatae sedataeque cessarent. Vnde apud Iesaiam de illo dicitur: Oblatus est, quia ipse voluit, *Esa. LIII, 7.* & ipse alibi de se ait: ego pono animam meam, nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso, *Iob. X, 18.* Quis in huius amoris contemplatione defixus non obstupescat? Conf. DORSCHER *Admiranda Christi p. 451.* c) Innotescit porro exinde, quia omnem alium in terris amorem, licet intensissimus sit, excedit. Superauit, inquam, Christi amor amorem naturalem, qui est inter patrem & matrem erga filium & filiam. Quis enim parens ita filium dilexit, ut pro eo, praesertim ingrato & immorigero, mortem optetierit? Amoris huius exemplum nusquam inuenio. Quae mater sic filiam dilexit, sicut nos Christus dilexit? Audi de amore suo testantem: nunquid obliuisci potest mater infantem suum, ut non misereatur filii vteri sui? & si illa oblita fuerit: ego tamen tui non obliuiscar, ecce in manibus meis deseripsi te, *Ies. XLIX, 15. 16.* Deinde hic Christi amor superat omnem amorem

rem

rem matrimonialem, qui est inter coniuges, virum & vxorem. Nam, si vxor ob admissum adulterium a viro semel repudiata dimittatur, nunquam in gratiam amplius recipitur; hominis autem anima, Christi sponsa, etsi coelestem sponsum suum millies deseruerit, & adultero diabolo per peccatum confenserit, Christus tamen denuo illam in gratiam recepit, imo pro ea mortuus est. Christus adhuc hodie homini, quotiescunque per poenitentiam resipiscit, quamuis millies eum dereliquerit, gratiam largitur, hinc manus in cruce extendit, in signum, quod omnes ad se reuertentes prodigos filios protinus ac libentissime excipiat & amplectatur, de qua promptissima benignitate ipse ait: si dimiserit vir vxorem suam, & rece dens ab eo nupserit viro alteri: nunquid reuertetur ad eam vltra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te, *Ier. III, 1*. Annon amor iste seruentior omni amore coniugali? Porro si vxor deformes rugas aut indelebiles quasdam maculas haberet in facie, reliquoque corpore, quae deleri non possent, nisi maritus eius vulnerari se curaret, vt ipsa in sanguinis eius balneo emundaretur; quis vir adeo diligeret vxorem suam, vt eius causa tantum sanguinis effundere non recuset? Erat anima, Christi sponsa, nefandis peccatorum naeuis foedissime conspurcata, nec poterat emundari, nisi balneo sanguinis Christi. Quid ille? non solum in praecipuis quinque membris, manibus, pedibus, pectore, sed & toto passim corpore in cru-

ce vulnerari, ac sanguinem voluit profundere, vt in-
 de balneum praepararetur, in quo sponſa ab omni
 peccatorum inquinamento emacularetur. Superauit
 hic Chriſti amor omnem amicitiae, qui eſt inter ami-
 eos, amorem, quem vocant ſocialem. Quis enim
 morietur pro inimico? ne vix quidem inuenitur, qui
 mortem oppetere velit pro amico. Sane maiorem
 hac dilectione nemo habet, quam vt animam ponat
 quis pro amicis ſuis, *Iob. XV, 13.* Et nos, annon eramus
 inimici Dei, quando Chriſtus pro nobis mortuus eſt?
 cum adhuc infirmi eſſemus, imo inimici, Chriſtus
 pro nobis mortuus eſt, affirmat Apoſtolus. *Rom. V,
 10.* Quis ergo maior, quam Chriſti amor, qui non
 pro amicis, ſed pro inimicis mori elegit? Superauit
 hic Chriſti amor amorem animale, qui eſt inter a-
 nimam & corpus. Anima enim ita fortiter, ita fer-
 uenter diligit ſuum, quod informat, corpus, vt mo-
 dis omnibus renuat, ab eo ſeparari, vnde Cicero
 mortem omnium terribilium terribiliſſimum eſſe af-
 firmavit, ob hanc, quam cauſat, animae a corpore
 ſeparationem. Quid vero anima benedicta Saluatoris
 Chriſti Ieſu? annon animarum noſtrarum ſalutem
 feruentius dilexit, quam proprium corpus? vtique.
 Nam vt nos ab aeterna morte redimeret, a proprio
 corpore in cruce per mortem, obitam voluit ſepara-
 ri. Ego, inquit, animam meam pono pro ouibus
Iob. X, 15. Quid ardentius hoc Chriſti amore excogita-
 ri poſſet? *Cant. IIX, 6. 7.* IOH. OLEAR, *Bibl. German.
 in b. l.*

3) Quo redemptionem copiosam habeamus. Nam cum vnica guttula sanguinis in cruce effusa pro vniuersis delictis nostris satisfacere non posset; Sed vel ad millenorum mundorum, si tot reperirentur, redemptionem sufficeret, voluit vberrimos eiusdem sanguinis riuos nobis impertiri, atque adeo redemptionis nostrae pretium copiose abundanterque numerare, vt haberemus copiosam redemptionem. Hinc BERNHARDVS ait:

non gutta, sed nuda sanguinis, per quasque corporis partes emanauit: verum quidem sufficebat redemptioni, non satis erat amori. Et ideo tanto magis hic consistens in copiosa redemptione, agnoscendus & aestimandus est nobis, quanto amplius ad nostras necessitates superabundauit. Nunc facillime credimus, quod Christus per mortem suam in cruce omnium temporum peccata deleuerit, & non tantum pro peccatis, mortem eius secutis, sed etiam eam praecedentibus satisfecerit. Causa quidem antequam existit, alias efficere non valet quicquam, sed illud potuit mors Christi, quia haec fuit copiosae redemptionis. Illa nondum existens, & saltem a Deo praeuisa, vi sua omnes praeuauaricationes sub priori testamento eluere potuit. *Ebr. IX, 15.* Hinc agnus dicitur occisus ab origine mundi, *Apoc. XIII, 8.* videlicet, partim in typis, partim quia eius mors ab origine mundi profuit mundo. Duo quotidie agni Deo immolabantur, alter mane, alter vesperi. Agnus vterque Christi mortem in cruce adumbrabat, est enim Christus immolatus mane in praescientia diuina,

na, & peccata mane, id est, ab initio mundi perpetrata, largiter suo deleuit sanguine. Est praeterea reipsa immolatus vesperi, id est, in fine mundi, peccataque omnium temporum copiosissime expiavit. Nunc nemo negabit, quod Christus supersedere queat noua & iterata morte crucis, nec debeat frequenter & mori, & saepius se offerre patri per mortem. Antiquae legis pontifex saepe, id est, per singulos annos cum sanguine in sancta sanctorum quidem introibat, quia sanguis ille hircorum & vitulorum ad peccata expianda vim minime habebat; at Christus semel tantum cum sanguine suo introire in sancta sanctorum habuit necesse, quia meritum mortis ipsius fuit superabundans. Hinc Paulus ait: Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata, secundo sine peccato apparebit, omnibus expectantibus se, in salutem, *Ebr. IX, 28*. Creditu haud difficile nunc est, omnia Dei dona, peccando perditam, per Christi mortem recuperata, imo infinita adhuc alia nobis esse promerita. Ethnicorum figmentum est cornu copiae illud, quo mediante credebant Iouem hominibus omnia bona sua conferre; at verum ac diuinissimum cornu copiae Saluatoris nostri, ex quo omnia in nos bona affluentissime redundant, est passio & mors Christi, quia hic datur copiosa redemptio. *1. Tim. I, 14.*

4) Quemadmodum est Dei voluntas circa omnes actiones humanas, vt ante omnia tendant in scopum gloriae diuinae. Tamen enim omnia alia bona sua cum hominibus liberaliter soleat communicare,

care, gloriam tamen suam sibi integram solidam-
que vult seruatam. Ego Dominus, inquit, hoc est
nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, &
laudem meam sculptilibus, *Ies. XLII, 8.* Vnde iubet
Apostolus: Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud
quid facitis, omnia in gloriam Dei facite, *1. Cor. X, 31.*
Sic pater absque dubio filium suum ad ferendam mor-
tis crucem ordinavit, filius vero hanc suscepit & tu-
lit, eum in finem, ut gloria patris inde enascatur. Quem
finem adimpletum quoque videmus in morte crucis.
Nam si in minimis rebus adimplere divinum benepla-
citur summam Dei gloriam parit, quam ineffabilem
gloriam accepit Deus pater ab illa inexplicabili obe-
dientia Christi, qua subiit mortem tam ignominiosam
& atrocem? Gloria habetur nunc patri ob admira-
bilem diuinæ sapientiæ & bonitatis providentiam,
quæ ex tot opprobriis & ignominis a Christo tole-
ratis, tanta & tot illustria bona eruere nouit. Et quis
nescit, Deo honorem suum & gloriam maxime tribui
sacrificando, cum nemini, nisi vero Deo, sacrificium
debeatur? Propterea enim Deus populum Israëli-
ticum de manu Pharaonis tot signis, tot prodigiis, tot
plagis liberavit, ut assidua illi in deserto sacrificia of-
ferret, dimitte populum meum, aiebat ad Pharaonem,
ut sacrificet mihi in deserto, *Exod. V, 3.* Quod si ergo
Saluator noster, summus pontifex & sacerdos, secun-
dum ordinem Melchisedech, se ipsum in crucis ara,
in monte Caluarie, placationis sacrificium voluit offer-
re, patris sui honorem & gloriam ingentem in mo-
dum cumulavit, quod enim sacrificium, quæ victima
illa

illa dignior, sublimior & augustior inueniri potuit? O sacrificium, e quo regi seculorum immortalis & inuisibili soli Deo summus honor, summa gloria exhibenda! Si enim ex sacrificio Isaac, quod illius diuinissimi sacrificii vmbra tantum erat & figura, Deus tantopere glorificatus fuerit & exaltatus; quanto maior ei quodammodo accreuerit gloria e Saluatoris nostri corporis & sanguinis sacrificio, non tantum inchoato, sed & in cruce consummato.

5) Denique Christus Saluator noster crucis mortem passus est, quo nobis det exemplum virtutum. Hinc Petrus ait: Christus passus est pro nobis, relinquens exemplum, *ὑπογραμμὸν*, vt sequamini vestigia eius, *1. Ep. 11, 21*. Habemus autem hic exemplum *humilitatis*. Tanto laudabilior atque admiratione dignior est haec Christi humilitas, quanto maior fuit & sublimior persona. Hanc profundissimam eius humilitatem vsque adeo diuus Paulus obstupescit, vt eam exinanitionem sui ipsius appellet. Exinanituit se ipsum, formam serui accipiens. *Pbil. 11, 7*. Inruere, quam magna fuerit exinanitio, quia cum primus esset inter omnes homines, simulque Deus, senouissimum illorum constituit. Neque tantum nouissimus & infimus inter homines reputari voluit, verum etiam minus quam homo. Sic namque ait per prophetam: Ego vermis, & non homo, opprobrium hominum & abiectio populi. *Psal. XXI, 7*. Ita autem Christus se humiliavit, vt nobis praeberet verae humilitatis exemplum, quoniam mentis animique submissio & carnis mortificatio hominem ad summum

con-

contemplationis fastigium prouehunt. Christi humilitas fuit causa, quod Iudaei & gentiles philosophi in Christum credere non potuerunt, obstabat enim ingens eorum superbia & animi elatio. Hinc Ioannes ait: quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis? *Iob. V, 44.* Tantam porro tamque placidam *mansuetudinem* in crucis morte Saluator ostendit, quam Petrus secum reuoluens ait: cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur. *1. Petr. II, 23.* Vnde non immerito Ioannes Baptista illum agnum Dei *Iob. I, 29.* appellat. Ad quam virtutem inuitamur a Salvatore nostro his verbis: Discite a me, quia mitis sum & humilis corde. *Matth. XI, 29.* Neque immerito ab illo ad hanc virtutem inuitamur, quia mansuetudo conseruat animam, & homines ab omni laesione custodit. Vnde in Ecclesiastico dicitur: fili, in mansuetudine serua animam tuam, *Cap. X, 37.* Per hanc Deus inest nobis. Sicut enim homo libentius in molli quam in duro lectulo somnum capit; ita Deus in corde mansueti & mitis libentius requiescit, quam in corde asperi & crudelis, **AVGVSTINO** attestante, qui occasionem ex illis Prophetarum verbis sumens: super quem requiescit Spiritus meus? *Ies. XI, 2.* ait: cor humilis est sessio & delectabile cubile Dei.

Sed quid de *patientia* eius tam forti, tam robusta, tam diuturna? qua communitus infracto animo sustinuit in cruce iniurias incredibiles, blasphemias horrendas, dolores immensos, & mortem denique

C

acerbissi-

acerbissimam, idque sine ullo vel minimae consolationis refrigerio, praesertim cum ista pateretur ab iis, qui propter singularia, quibus eos affecerat, beneficia tanto debuerant esse gratiores, quanto erant truculentiores. Tam stupenda insignis fuit illa patientia, ut, affirmante TERTULLIANO, ex illa sola uniuersus mundus colligere potuisset, illum esse verum Deum, eo quod tam inuisita patientia in nemine, praeterquam in solo Deo, inueniri potuisset. Quam ob rem nonnulli ad singularem hanc patientiam respicientes, volunt de Christo accipiendam esse illa Psalmistae verba: Prodigium factus sum multis, *Psalm. LXXI, 7.* quia portento simile, & summa dignum admiratione esse videbatur, cernere, quod filius Dei, cum acerbissimorum tormentorum perpeffione tam admirabilem patientiam animique stupendam tranquillitatem coniunxisset. Ab admirabili hoc patientiae exemplo didicit Paulus, ceterique discipuli Christi, omnes casus aduersos aequanimiter tolerare, hinc namque ait: Maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus. *1. Cor. IV, 12.* Ab eodem Christi exemplo & nos veram in omnibus huius mundi aerumnis, laboribus & aduersitatibus patientiam discere debemus. Hinc Christus nos inclamat: Tollite iugum patientiae meae super vos, iugum enim meum iuaue est, & onus meum leue, *Matth. XI, 29. 30.* Vid. B. IOH. GERHARD. *Nor. in b. l.* Resplenduit etiam in Salvatore morte promptissima obedientia, qua, ut Paulus asserit, factus est patri obediens usque ad mortem,

mor-

mortem autem crucis, *Phil. II, 8.* Nihil enim maius cogitari potest, quam necem, & necem quidem contumeliosissimam, qualis est crucis, ex obedientia perpeti. Hanc obedientiae virtutem in omni vita suam inde ab incunabilis perfectissime semper exercuit, & ad mortem usque, in perficienda Patris sui coelestis voluntate, defudavit. Opus consummaui, quod dedisti mihi, ut faciam, *Iob. XVII, 4.* Exceluit in Christo crucifixo *omnis honoris, dignitatis, omniumque terrenarum rerum contemptus.* Quamuis enim toto vitae suae decursu harum rerum contemptor extiterit, nihilominus tamen multo praeclarius in morte eius resplenduit ille contemptus, quando his rebus omnibus priuatus in cruce pependit, quando prorsus nudus & vestimentis etiam suis spoliatus in cruce pependit, quando ne vnicam quidem aquae guttulam, qua sitim restingeret, habuit, quando dura cruce pro lecto, corona spinea pro cervicali usus fuit, quando denique non modo honores nullos concupiuit, verum etiam omnis contemptus & contumeliae, quae sub hominis imaginationem cadere potest, scopum semetipsum constituit.

Enituit in eo vel maxime constantissima illa *magnanimitas*, ob quam non solum in Veteri, sed & in Nouo Testamento victorioso leoni comparatur: Sicut leo occubuiisti, affatur tribum Iudae, vnde Messias oriundus, in vltima benedictione sua Patriarcha Iacobus, *Gen. XLIX, 9.* & regnantium in coelo sanctorum chori Christo congratulantur: Vicit leo de tribu Iuda. *Apoec. V, 5.* Hanc porro magnanimitatem ostendit in praedicanda

dicanda intrepido animo veritate, & sufferendis constantissime immanibus suppliciis & tormentis, verum etiam in non descendendo de cruce, quamuis ad hoc ab aduersariis stimularetur. Si filius Dei es, descende de cruce. *Matth. XXVII, 40.* At ille sanas eiusmodi animose respuens atque contemnens in cruce vsque ad mortem constanter perseueravit. *Ebr. XII, 2.* Discamus ab illo huius mundi clades & aerumnas animose suscipere & magnanimiter superare.

Resulcit in crucis morte liberrima eius *placabilitas*. Nam in cruce pendens, & morti proximus, non tantum crucifixoribus suis omnem iniuriam condonauit, verum etiam apud Patrem illos excusauit, ac pro eis intercessit. *Luc. XXIII, 34.* Ignoscamus ergo & nos hostibus & inimicis nostris omnes etiam periculosissimas offensiones; sicut Deus nobis condonauit in Christo. *Eph. I, 32.* Si enim praeclare CICERO *L. I. offic. c. XXV. Nihil laudabilius, nihil magno & praeclaro viro dignius, placabilitate & clementia.* Quanto magis id nos decet, qui Spiritum Christi accepimus, qui huius vestigiis nos insistere docet? *Luc. IX, 55. 56.* Conf. IOH. GERHARD. *Annot. in Matth. VI, 12.*

Coruscavit in eo praeterea feruentissimus *Zelus*. Zelabatur pro Dei gloria, cuius gratia voluit in altari sancto crucis extingui, vt nos quoque zeli gloriae diuinae cupiditate ab eius exemplo accenderemur. Quemadmodum autem Christus id faciebat ex plena scientia, cum certissimus esset, gloriam diuinam, & hominum salutem hoc zelo obtentum iri. Ita

Ita & nos zelum nonnisi prudenter adhibeamus. Vid.
DANNHAVER. *Theol. Conscient. p. 925.*

Flagrantissima denique *charitas* aureum erat vinculum, omnes hasce virtutes, quas hactenus enumeravimus, in vnum veluti fascem colligens atque connectens. *Coloss. III, 14.* Haec autem in sacratissima Christi morte maxime eluxit, & talis omnino fuit, vt nec verbis explicari, nec mente comprehendi queat. De qua cum sat multa iam a nobis fuerint supra commemorata, nolumus ea repetere. Sufficiant nobis Saluatoris, nos ardentissime diligentis, verba: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis; sicut vos dilexi, ita alter alterum diligite & redamate, *Iob. XIII, 34. Epb. V, 25.*

6) Christus e contrario sua obedientia & morte crucis sibi aliquid promereri non intendit. Notandum hoc est contra Pontificios, qui statuunt, Christum obedientia sua promeruisse sibi gloriam, nominis sui claritatem & exaltationem. At enim vero in quo habitat tota plenitudo Deitatis, & ex cuius abundantia omnes accipiunt, ille non necesse habet, vt per meritum sibi aliquid acquirat, *Col. II, 3. 9. Iob. I, 16.* Quia Christus habet nomen super omne nomen, *κλειρονομία* sibi non acquisiuit per meritum, *Hebr. I, 11.* Adeoque *Phil. II, 9. δὲ* non notat causam, sed consequentiam, & idem est ac proinde, postea, deinde. Exinanitio non fuit exaltationis causa meritoria, aliud enim docet verbum *ἐξαγίστα*, & Lucas *Cap. XXIV, 26.* nonne hoc oportuit pati Christum (prius *Luc. XVII, 25.*) & intrare

trare (deinde conf. *Act. XVII, 3. i. Petr. I, u.*) in gloriam suam? *Hebr. II, 9.* verba *διὰ τὸ πάθῃν αὐτῆς* etiam non reddenda sunt propter (tanquam per causam meritoriam) passionem mortis, sed notant hic, vt ATHANASIYS, AVGVSTINVS, alii volunt, causam finalem; paulo minor angelis factus, vt pati & mori posset; alii consequenter reddunt: τὸν δὲ θραχὺ τὴν κ. τ. λ. post passionem mortis gloria & honore coronatum. Conf. DANH. *Hodom. Sp. Pap. Phantasm. II X, p. 60. 83.* QVENSTAD. *System. Part. III. p. 324.*

SECTIO III. CAVSARVM APPLICATIO ET DOCTRINAE.

I.

Vna gutta sanguinis, vna sola Christi actio, vnus amoris actus, vel simile quidpiam satis non fuisset mundo redimendo; sed iustitiae, charitati, patientiae & exemplo congruum fuit magis, multos tolerare cruciatus, totum sanguinem & vitam in cruce profundere. Decebat Saluatorem nostrum virtutum, maximaeque charitatis, fortitudinis & patientiae opera, non quaelibet, sed praeclarissima patrare, hominibusque exemplum luculentissimum exhibere. Id vero fieri non poterat, si vna vel pluribus actionibus, minime laboriosis, vel paucis guttis sanguinis saluos nos faceret. Ipsa Christi dignitas & sanctitas postulabat, vt, quae in mundo sunt optima,

optima, perageret. Optimum autem in mundo est, non diuitiis abundare, aut honoribus, non voluptatibus indulgere, sed pro Deo graues ferre tum labores, tum cruciatus, mortemque perpeti acerbissimam. Praestare ergo voluit, quod optimum, quodque tam eximia sanctitas flagitabat. Veritatem huius asserti Scriptura confirmat, quando charitatem Dei in opere redemptionis nobis exhibitam, & redemptionem ipsam, multam & abundantem vocat *Eph. II, 4. 7. Es. XXX.* Huic asserto quoque inhaeret Lutherus in *Comment. prior. Epist. Petri, ad verba 1. Per. 1, 18. p. 308.* vbi haec habet: Was ist nun der Schatz, damit wir erlöset sind? nicht vergänglichliches Gold und Silber, sondern das theure Blut des Sohnes Gottes. Der Schatz ist so kostlich und edel, daß es keines Menschen Sinn und Vermunft begreifen kan, also daß nur ein Tröpflein von diesem unschuldigen Blute übrig genug wäre gewesen für aller Welt Sünde. Consentit DANNHAVERVS in *Lact. Car. P. IV, p. 31.* Ein einziges Tröpflein seines vergossenen Blutes wäre genugsam, den unendlichen Zorn des himmlischen Vaters zu stillen, wo er nicht aus überflüssender Liebe alle sein Blut vergießen wollen. Reliquos tacemus. Consentiant, inquam, hi duumviri cum nostro asserto: Considerant enim sanguinem Christi in se, & pro secundo communicationis idiomatum genere; quomodo de singularis guttis asserendum est, quod sint diuinus sanguis *Act. XX, 26.* Nos autem spectamus hunc sanguinem in officio suo, adeoque pro tertio genere, quatenus a Pontifice nostro totus erat effundendus, vt mors sequeretur,

tur 1. *Iob. I, 7.* Ita enim a Deo, qui hic nihil frustra fecit, fuerat decretum, *Luc. XXIV. 26.*

II.

Christus verum & acceptissimum sacrificium factus est pro nobis. Tradidit semetipsum, inquit Paulus, pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. *Eph. V, 2.* Nullum vnquam sacrificium tam suauem Deo, angelis hominibusque odorem praebuit, quam mors & passio Christi, haec enim mundum, scelerum foetore completum, odore suauissimo repleuit. *2. Cor. II, 15.* Post diluuium illud, quod totum orbem aquis obruit, sacrificium obtulit Noachus Domino, odoratusque est Dominus odorem suauitatis, & ait ad eum: nequaquam vltra maledicam terrae propter homines. *Gen. VIII, 21.* Sacrificium Noachi diluuium minime repressit, at Christi sacrificium diluuium peccati, quod totum orbem opprefferat, expulit. Odoratus est Dominus odorem suauitatis sacrificii Noachi, sed multo magis delectatus est odore suauissimo sacrificii Christi. Odor suauitatis dicitur in fontibus odor quietis, quoniam placebat, & ab ira quiescere faciebat Deum. Odorem sane suauitatis, id est, suauissimum & quietis efflauit Christi sacrificium, iratum enim toti orbi Deum quiescere fecit ac placuit. Placatus Dominus sacrificio Noachi ait ad eum: nequaquam vltra maledicam terrae; sed placatus sacrificio Christi non solum terrae non maledixit, verum praeclarissimis eam donis & benedictionibus locupletauit. *Act. II, 31. 32. 33.* Alias de sacrificiis
in

in genere falso Pontificii affirmant, eorum vsum iam in paradiso & ante lapsum viguisse, & quo missae suae idololatricae colorem quaerant, fingunt, a religione sacrificia non posse seungi. Nos autem, vt non paucos populos religionem sine sacrificiis coluisse, nouimus; ita, cum Messiam in statu innocentiae fuisse venturum, contra Osiandrum & Photinianos pernegamus, & sacrificia typos & figuras passionis, mortis & meriti Christi statuimus, mactatione victimarum integro homini haud opus fuisse, recte asserimus, sed tamen *εὐχαριστίας* quasdam oblationes non negamus, sed pie credimus. Post lapsum autem, tanquam primos sacrificia offerentes, nobis manifestat Moyses Cainum & Abelem, *Gen. IV, 3. 4.* de his quaeritur, an absque mandato Dei, & priuata intuitione, sacrificia obtulerint, & illorum successores vsque ad Moysen? Pontificii iterum affirmant, nos autem hoc negamus, quia α) Deus *εὐελοθεσούειαν* semper improbavit, *Deut. IV, 2. Num. XV, 39.* β) cultum hunc Deus approbavit *Gen. IV, 4. V. III, 21. 27.* γ) ratio humana non potest inuenire analogiam inter cultum per sacrificia & Deum incorporeum, quomodo haec Deo possint esse grata. Habent ergo sacrificia in Veteri Testamento tam ante constitutam politicam Iudaicam, quam post illam, Deum auctorem, vti in Nouo Testamento, sacramenta. Praefigurarunt haec omnia vnicum sacrificium propitiatorium, in ara crucis pro nobis immolatum. Vim expiatoricem & reconciliatricem habuerunt typice, quatenus nempe corporis quasi vicaria & repraesentatiua erant victimae, pro peccatis mundi in temporis plenitudi-

D

ne

ne offerendae. Non tamen se habebant vt nuda signa *σημαντικά*, sed vt organa diuinitus ordinata, quae Messiam, in assumta humanitate, suo tempore, pro peccatis totius mundi in sacrificium patri se oblaturum, peccatoribus proponerent, ipsiusque obedientiae cruentae fructus iis afferrent, applicarent & obsignarent. Conf. B. IOH. GERHARD. *LL. Theol. Tom. III. Loc. de Leg. Cerem. §. 14. p. 105.* DANNHAVER. *Hodom. Spir. Pap. p. 641. seqq.* CALOV. *Syst. Tom. II X. p. 26.*

III.

Christus pro omnibus hominibus, & non tantum pro quibusdam, mortem crucis passus est, eum in finem, vt omnium peccata expiaret. Probantur haec ex dictis, quae 1) extendunt meritum & mortem satisfactoriam Christi ad omnes homines, *2. Cor. V, 14. 15. Hebr. 11, 9. 1. Tim. 11, 6.* 2) meritum & passionem Christi extendunt ad totum mundum, *Io. 1, 29. 1. Io. 11, 1. 2.* 3) ad ipsos etiam improbos sua culpa pereuntes, *Rom. XIV, 15. 1. Cor. 11 X, 11. 2. Pet. 11, 1.* Quod notandum contra illos, qui negant ex Reformatis vniuersalitatem meriti Christi. Conf. B. CALOV. *System. Theol. Tom. VII. Artic. IV, c. VII. qu. 5.* Et B. IACOB WELLERII *Annot. in Rom. XIV, 15.*

IV.

Deus serio vult omnium hominum salutem, quia eum in finem Filius eius crucis mortem pro nobis passus est. Patet hoc etiam ex eo, quia Deus iurat, quod, secundum voluntatem antecedentem, non velit mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, *Ezech. XXXIII, 11.* Vult, vt omnes ad veritatis agnitionem perueniant, *2. Pet. III, 9.* Nam vnus est Deus, scilicet
non

non tantum in essentia, sed etiam in voluntate, qui erga omnes vnam habet affectionem; & vnus est Mediator, qui semet ipsum dedit pro omnibus, *1. Tim. II, 5. 6.* Mandat etiam, vt omnibus creaturis, scilicet rationalibus, in terra salutem per euangelium Apostoli annuncient, *Marc. XVI, 16.* Quis ergo cum fundamento affirmabit, Deum hunc vel illum ex absoluto decreto damnasse, vel secundum voluntatem signi, omnibus quidem indicasse salutem, non autem secundum voluntatem beneplaciti omnibus serio salutem decreuisse offerre & conferre?

V.

Semper fuerunt, & adhuc sunt, quos humilis vita & mors Christi offendit. Est enim hominum ingenium ita comparatum, vt nihil admiretur, nisi quod magnum & maiestate glenium; e contrario vero humilia negligit, despicit. Quod ipsum Christo quoque, qui humili forma serui comparebat, despectui erat apud eos, qui mundi amore & fastu turgabant. Vnde Pharisei: *Num quis Principum & Pharisaeorum in ipsum credit? Populus vero hic, qui legem ignorat, execrabilis est. Iob. XIX, 48. 49.* Cum tamen necessitas postularer, quo Christus officium redemptorium praestaret, vt semet humiliaret. Quia alioqui nec mori, nec pati potuisset. *Matth. XX, 28.* Sed haec non expendunt, qui terrena extollere, & aestimare didicerunt. Itaque de diuitibus Chistus ait, ipsos difficulter in regnum coelorum ingredi. *Matth. XIX, 24.* Et Paulus *1. Cor. I, 26. 27.* id per experientiam demonstrat.

VI.

Immortales gratias Christo pro morte sua, nobis salutari, non ore & corde tantum agere, sed & re, debemus referre. Quemadmodum ipse crucis mortem tam probro-

fam

sam & dolorosam a se prohiberi non voluit; ita nos quoque nulla ratione pariamur, eum e cordibus nostris per voluntaria peccata tolli; potius ad omne obsequium & seruitium eius parati simus, libenter & volentes omnem laborem, tribulationem & mortificationem, quacunque occasione nobis oblatam, amplectamur, *Iac. I, 2. seqq. 2. Cor. IV, 17. 18.*

VII.

Crucis mors Christi, nobis omnibus salutaris, in assidua recordatione est seruanda. Christus illud a nobis exigere videtur, dum eum in finem Sacramentum eucharistiae instituit, & dixit: Hoc facite in mei commemorationem, *1. Cor. XI, 24. 25. 26.* & quam grata sit eiusmodi recordatio, coniecturare possumus ex memoria temporalium beneficiorum, quam a Iudaeis in Veteri Testamento flagitabat. Nam vt omni tempore illa mente retinerent, annua festa celebranda ordinauit *Exod. XII, 26. 27.* Si Deus autem ab Hebraeis beneficiorum temporalium memoriam voluit conferuari, quid putas de tam eximio ac singulari beneficio, cuiuscemodi est mors Christi in cruce?

VIII.

Denique quia passus est Christus in cruce, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius, hinc cura nostra sit, & labor noster in eo desudet, vt vestigiis illius fideliter insistamus, in omnibus illum imitemur, omnesque eius, in toto vitae nostrae dramate, virtutes & mores exprimere satagemus. *Matth. XVI, 24.* Nos quidem imitatione nostra ad ipsum usque pertingere, illumque aequis passibus adaequare non valemus, interim tamen in id per Dei gratiam possumus eriti. Et quanto maior est abundantia & plenitudo gratiarum, quas Saluator noster promeruit, & quo maiora sunt media diuina, quibus dulcis & facilis imitatio nostra nobis redditur, tanto magis inexcusabiles erimus, si Saluatoris nostri exemplum diligenter non aspicientes, eius vestigia vigilantissime non sequeremur.


T A N T V M.


00 A 6333

EO-3h
Feb. 01

Zha ✓

Me ✓





84

Q. D. B. V

DISPVATIONEM THEOLOGICAM
DE
CAVSIS
CVR CHRISTVS MORTE
CRVCIS VOLVERIT MORI

PRAESIDE

IO. CASP. HA FER VNGIO

S. S. THEOLOG. DOCTORE ET PROFESSORE
PVBL. ORDIN. ALVMNORVM REGIO-ELE-
CTORALIVM EPHORO

PRO CONSEQVENDIS SVMMIS IN THEO-
LOGIA HONORIBVS

IN ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

AVDITORIO MAIORI

D. XX. FEBRVAR. A. R. S. MDCCXXXIX

PVBLICE DEFENDET

FRIEDERICVS SCHVLZE

S. S. THEOL. BACCAL.

PRAESVLATVS NAVMBVURGENSIS CIZAE SVPERINTEN-
DENS, CONSISTORII ADSESSOR, TEMPLI AD ARCEM CON-
CIONATOR, ET SCHOLAE EPISCOPALIS
EPHORVS.

VITEMBERGAE

TYPIS EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDII (6)
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.